

IN HONOREM NVPTIARVM NOBILIS ET PRÆCLARI VIRI D. PETRI OBERNBVRGERI CÆSAREI Secretarij, Illustrissimiq; Boiorum Principis Consiliarij, nec non Comitis Palatini etc. Et Annæ Müllerin Ingolstadianæ virginis castissimæ etc.



Christophori Gulielmi Putschij Aenicola Tyrolensis Elegia.

Ernimus ut nullos humana potentia fructus  
 Proferat, ætheream ni Deus addat opem:  
 Ergo mihi sociæ celebranti fœdera uitæ  
 Ingenio uires suggere Christe meo.  
 Exoritur rubicunda dies, lux alma refulget,  
 Exoritur festum nobile, festa dies.  
 Cingantur de more sacri pia limina templi  
 Frondibus, auricomas spiret & ara rosas:  
 Cum Sponsa sacras graditur modo Sponsus ad aras  
 Supplex, & casto concipit ore preces.  
 Inuocat æthereum te Christe benigne tonantem,  
 Prospera sint initi gaudia coniugij.  
 Ad tua sacra ueni Deus, & procul inde repelle  
 Omnia, quæ sacræ sunt inimica tuis:  
 Qui primum liciti sanxisti fœdera lecti,  
 Præcipiens una uiuere carne duos:  
 Accipe quas nitidas effundat Sponsus ad aras,  
 Accipe, quas adhibet Sponsa pudica preces.  
 Audijt omnipotens uestras pie Sponse querelas,  
 Audijt, & iussit spem Deus esse ratam:  
 Nam quicumq; Deo didicit confidere summo,  
 Illius & uero iussa timore sequi:  
 Hunc fouet, hunc semper rapido inflammatus amore  
 Prosequitur, cœptis propicieq; fauet.  
 Iungite prò in alacres constanti fœdere dextras,  
 Atq; datum mentes pignus utrinq; liget:  
 Aureus ut digitis subtilibus annulus hæret,  
 Vos ita perpetuo iungat amore fides.  
 Pleraq; nos etenim si contempler in orbe  
 Munera, quæ Christi dextera largæ dedit:  
 Non ullum melius, non religiosius illo est,  
 Quàm pia legitimi iura fouere thori.  
 Ergo te tali fœlicem Sponse putato  
 Munere, quod rutilo misit ab axe Deus.  
 Hanc tibi delegit sociam Deus inclyte Sponse,  
 Cui poterat nusquam charior ulla legi:  
 Cum qua multijugam posses producere prolem,  
 Disceret à teneris quæ pietatis opus.  
 Ipsa tuos semper merita est quæ sentiat ignes,  
 Cum qua perpetuo ius sociale colas.  
 Si genus excutias claris natalibus orta est,  
 ANNAM Mülleriam turba propinqua uocat,  
 Ipse Parens multos celebri cum laude per annos  
 Ingolstadiaca Quæstor in urbe fuit:  
 Consilioq; Duci Bauarorum sæpè salubri  
 Profuit ingenij dexteritate sui.

Si spectes mores, nil non laudabile spectas,  
 Si faciem, uitæ conuenit oris honos:  
 Et quod principio dicendum iure fuisset,  
 Quodq; ferè calamus præterijisset iners:  
 A teneris uigili studio uenerabilis illam  
 In uera instituit religione Pater.  
 Hanc tibi prò inde sacro donatam munere Sponse  
 Gratulor, & cedat res bene tota precor.  
 Tu quoq; te simili reputato sorte beatam  
 Sponsa, uiri tanti digna reperta thoro.  
 Gaudia Sponsa tuo cape gaudia mille marito,  
 A quo uirtutis non honor ullus abest:  
 Seu spectare iuuet ueræ pietatis amorem,  
 Candorem mentis siue notare iuuet:  
 Seu iuuet ingenij cultissima dona referre,  
 Huic uirtute pares uix reperire queas.  
 Vrbs populosa iacet Francorum ubi panditur ora  
 Obernburg, Moeno proxima piscifero:  
 Hac est urbe satus Sponsus tuus inclyta Sponsa,  
 Hac ex urbe suum protulit ille genus.  
 Ipsius genitor CAROLO Patruusq; Ioannes  
 QUINTO à consilijs & fœderibus pariter  
 Ipse Moguntina sed filius urbe magistris  
 Traditus, edidit uerba latina loqui.  
 Ingolstadiacum doctus petit inde Lyceum,  
 Volueret assidua splendida iura manu.  
 Hoc studio ille sibi decus immortale parauit:  
 Ingenium propter munera tanta tulit:  
 CÆSARIS ut iussu celebres captarit honores,  
 Et secreta sacri nosceret Imperij:  
 At postquæ sceptri CÆSARIS grauitate relicta  
 Hesperias peteret CAROLVS usq; plagas:  
 Principem apud Mariam est is munere functus eodem,  
 Extremum donec clauderet illa diem:  
 Ipsaq; pro meritis potiores ferret honores,  
 Huic quoq; legati munera summa tulit.  
 Adde Palatinū Comitem quod CAROLVS illum  
 Prostudij fecit sedulitate sui:  
 Illi hoc delato sed copia munere facta est  
 Publica qui scribant Acta, creare uiros:  
 Arma elargiri, illicito quoq; semine cretos  
 Rursus legitimo restituisse thoro.  
 Ergo tibi pariter tantum quoq; Sponsa maritum  
 Gratulor, & thalamo gaudia mille precor:  
 Quodq; ( fauente Deo ) nunc in cœpistis uterq;  
 Numine fœlici perficiatis opus.

